DE MONOPODIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS ANATOMICO PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI DEFERANTUR
DIE XXIV. SEPTEMBRIS M. A. MDCCCXXVII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

HERMANNUS JULIUS BEHN,
BROMBERGENSIS.

OPPONENTIBUS:
E. GABLER, MED. ET CHIR. DR.
C. RAHTS, MED. ET. CHIR. DD.
A. GOTTHARDT, MED. CAND.

ACCEDUNT DUAE TABULAE AENEAE.

BEROLINI,
LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, GENEROSISSIMO,

JOANNI DE WIEBEL,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, EXERCITUS BORUSSICI PROTOMEDICO, REGI A CONSILIIS INTIMIS SUPREMIS ET ARCHIATRO, SEMINARII MEDICO-CHIRURGICI FRIDERICO-GUILELMANI DIRECTORI, AQUILAE RUBRAE IN CLASSE SECUNDA CUM FRONDE QUERNEA DECORATAE, CRUCIS FERREAE IN CLASSE SECUNDA, ORDINIS RUSSICI ST. ANNAE ET WOLODOMIRI, AUSTRIACI, BAVARICI, WUERTEMBERGENSIS, HOLLANDICI ALIORUMQUE EQUITI, LEGIONIS HONORARIAE REGIS FRANCO-GALLORUM DECURIONI, SOCIETATUM PLURIUM SODALI ETC. ETC.

HASCE

STUDII ACADEMICI PRIMITIAS

SUMMA CUM REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Exhibiturus descriptionem anatomicam cujusdam monstri, in Museo nostro anatomico asservati, non possum, quin gratias intimas Viro Illustrissimo *Rudolphi* agam, quippe qui, praeter alia insignis benevolentiae ac favoris documenta, maximum in me eo contulit, quod monstrum illud describendi ejusque icones dissertatiunculae meae superaddendi, potestatem fecit. Secundae debentur gratiae Viro Experientissimo Dr. *Schlemm*, universitatis nostrae Prosectori, qui in examinando describendoque monstro summa cum benevolentia atque humanitate me adjuvit.

Praeter haec non est, quod praemoneam, etenim unumquemque lectorum, si quod irrepserit vitium, facile excusaturum esse, confido.

INTRODUCTIO.

Si singulares ac multifarias deviationes contemplamur, quas natura in conformandis corporibus organicis, tam vegetabilibus, quam animalibus offert, non raro quidem conformationis modum admirabimur, at certas leges, quanquam parum adhuc cognitas, pariter ei subesse, ac normali fabricae modo, haud inficiabimur: etenim quantacunque habitus externi, vel unius alteriusve partis differentia in organismis deformibus observatur, quos communi monstrorum nomine appellare solemus, omnibus tamen quaedam, imo multa sunt eadem, quae nisi essent, minus foret difficile, certas horum corporum classes distinguere. Omissis deformitatibus in vegetabilium regno obviis, iis breviter immorabor, quae corporum animalium formam legitimam deturpant, quippe quae, uti animalia praestant vegetabilibus, ita majori attentione sunt dignae. *Halleri* effato, quod repetierunt *Otto* [1]) et *Dieckerhoff* [2]), „anatomen monstrorum minus verae utilitatis habere, quam simplicem et perpetuam corporis humani fabricam recte expositam," prorsus adstipulari nequeo, primo enim medicum non modo normalem, sed etiam abnormem corporis structuram nosse oportet, deinde ex accurata et repetita monstrorum disquisitione anatomica haud parum lucis redundare puto in physiologiam et leges, quas natura in iis conformandis persequi solet. Quantum utilitatis latura sit penitior legum illarum cognitio, tam ratio nostra, quam scriptorum testimonia edocent [3]).

§. 1.

Monstrum quid sit, vario modo ab auctoribus est definitum: alii latiores alii angustiores definitiones in medium protulerunt. Earum, quae passim in libris inveniuntur, a vero proxime abesse videtur, quam *Sachsse* [4]) perhibuit: „Monstra indi-

---

1) Monstrorum sex humanorum anatomica et physiologica disquisitio. Francof ad Viadr. 1811.

2) De monopodia. Dissert. Halae 1819.

3) *C. D. Sachsse* Dissert. sist. descript. infantis monstrosae. Lips. 1803. pag. 3. „Detectis illis naturae legibus sperandum est, fore ut artis auxiliis adhibitis vel caveamus, ne monstra gignantur, vel foetus deformitatem mature prospiciamus eaque cognita parturientis saluti consulamus. His adde, monstrorum causis penitius intellectis obscurissimo illi physiologiae loco de generatione novam lucem accensum iri."

4) L. c. pag. 7.

vidua organica sunt, quorum forma nativa characteri generico non respondet." Idem vero distinguendum censet inter *monstrum, ostentum* et *prodigium*, ita ut *ostentum* significet genus, duas complectens species: *monstrum*, si in parte corporis principali (in capite) character genericus desideratur; *prodigium*, si aliae partes, sola principali excepta, charactere generico destituuntur.

§. 2.

Gradum facis ad illud monstrorum, aut si mavis, prodigiorum genus, quod *Monopodum* appellatur et, si verbi etymologiam spectes, eo insignitur, quod uno tantum pede munitum apparet. Quemadmodum omnium monstrorum, ita et monopodum exilior notitia priscis medicis contigit, quum, quae portenta habebantur, protinus post partum impune, imo ex legum auctoritate necarentur [1]). Quodsi ad prima historiae incunabula descendimus, simile quid monopodibus cum illis naturis esse suspicabimur, quas *Sirenum* nomine veteres descripserunt; attamen certi aliquid hac de re proponi nequit, etenim descriptiones formae Sirenum, in libris antiquiorum auctorum, imprimis poëtarum, obviae, parum conspirant, modo enim aves aequasse, modo superne virgines faciem retulisse, inferne in piscem desiisse traduntur. Interpretum recentiores fictitio Sirenum nomine aut meretrices, aut adulatores, aut libidines notatas esse judicant. Qui de Sirenibus plura legere diversasque antiquiorum scriptorum sententias cognoscere velit, librum infra citatum evolvat [2]). Quidquid demum sit, certis argumentis refelli non potest, infantes monopodes Sirenum fabulis ansam praebuisse, at qui hoc extra omnem dubitationis aleam poni posse existimat, meris conjecturis confidat necesse est.

§. 3.

Quod monstrorum, tam monopodum quam aliorum, originem attinet, recentiori demum aevo aliquid lucis ei affulsit; veteriores diversissime hac de re senserunt: alii enim siderum imperio, aut daemonum malignitati [3]), alii incantationibus, alii, quibus et recentiorum nonnulli suffragantur, gravidarum imaginationi, rebus insolitis terrificisque agitatae, monstrorum genesin imputabant. Quanta sit priorum sententiarum perversitas, unicuique facile patet; sciscitari autem oportet, an meliori jure iis utantur, qui matris imaginationi omnia adscribunt? Vix et ne vix quidem, si quid ego judico, nam quantus foret monstrorum numerus, si illam efficaciam sola imaginatio praestaret, num, quod etiam *Sachsse* monet, „de propria hominis figura in specie

---

1) *Abrah. Kaau Boerhaave*, Historia anatom. infantis etc. Vol. I. Petropoli 1754 praefat. „Erat olim monstrorum sors iniquior, cum vana superstitio et opinio perversa, ipsis firmata legibus, mali ominis portenta aeternis damnabat tenebris, crudeli piaculo in ipsa spirantia grassata."

2) Les Sirenes, ou discours sur leur forme et figure. Paris 1691.

3) *Sachsse* l. c. pag. 2.

humana post tot generationes ulla nunc vestigia superessent?" Huc accedit, quod multae imaginationis turbae, quibus infantum deformitas adscribi solet, medio demum, vel novissimo graviditatis tempore, quo omnes foetus partes jam eam formam nactae sunt, quam post partum referunt, matribus superveniunt. Denique si perversae matris imaginationes ad mutandam foetus vitam aliquantum valent; mutationes tantum ad systema nervosum spectaturas eique opportunitatem ad varios morbos illaturas esse, probabile videtur.

§. 4.

Singulari monopodiae ratione habita, nonnulli, repudiatis causis antea descriptis, ab externis violentiis, ut pressione, contusione etc. foetui illatis, eam deducere conantur [1]). Quae quidem opinio, si penitius reputatur, non plus probabilitatis quam supra enumeratae habere videtur: partim quod foetus in graviditatis primordio, quo saepe injuriae illae incidunt, nondum eum evolutionis gradum assecutus est, ut integrae partes mutari, multo minus, ut extremitates possint inverti, partim quod, si novissimis graviditatis mensibus violentia quaedam matrem oppressit, nullum laesionis indicium reperitur, partim denique quod in monstris haud raro deformitates contrariae inveniuntur, ab una eademque causa mechanica vix derivandae. Hanc ob rem non possum, quin sententiam profitear, quam *Dieckerhoff* [2]), *Meckelium* secutus, defendit: monopodiam, perinde ac alias monstrositates, ex alienationibus vis formativae originem ducere. Vis formatricis alienationes subesse, non amplius dubitari potest, quum monstra in lucem prodire videamus, quorum neque externam causam neque internam, ut animi affectum, imaginationis turbam etc. investigare licet. Quodsi alienationum illarum indolem intellexerimus, leges quoque dilucidabuntur, quas natura in producendis monstrorum generibus sequi consuevit. Scire igitur sufficiat, vim naturae formatricem utplurimum inhibitam deprehendi, quanquam enim nonnullis in casibus una alterave pars, v. c. digitus, praeter suetum numerum adjicitur, nunquam tamen partium deformium evolutio penitus est absoluta, sed mutili aliquid subesse, nobis persuadet.

§. 5.

Quodsi in monopodum divisiones inquirimus, unam modo invenimus, quam duce *Meckelio* instituit *Dieckerhoff:* in *imperfectiores* ac *perfectiores*; quae divisio an fundamento tam stabili superstructa sit, ut certus inter utrumque ordinem limes designari queat, nescio; certe omissis differentiis subtilioribus, haud dubie in quovis singulari exemplo obviis, modo habitum formamque generalem intueri oportet, si

eam

---

1) *Dieckerhoff* l. c. §. 8.

2) L. c. §. 8.

eam recipere velis. *Imperfectiores* nimirum monopodes auctor laudatus vocat, quorum et habitus externus et tota formatia manca est, ita ut extremitas inferior in apicem desinat pluresque ei partes desint, utpote plerumque tantum femur et crus idque justo brevius reperiatur, quanquam nonnullis in exemplis, quae allegavit, vel pes, vel phalanx pedis adfuerit. *Perfectiores* autem intelligit, quorum extremitates perfectius efformatae in unam coaluerunt pedemque referunt, ita circa axem versum, „ut illud latus, quod ad musculos extensores pertinet, retrorsum spectet, atque illud, in quo musculi flexores praepollent, in anteriori parte corporis appareat." Et haec quidem communis monopodum ratio est, ut, si intuearis pedem, planta ejus adversa, dorsum aversum inveniatur.

§. 6.

His praemissis descriptionem anatomicam monstri monopodis, in Museo nostro asservati, subjiciam. Si anteriorem corporis faciem intuemur, caput cum omnibus partibus, extremitates superiores, pectus, ventrem, nec non partes genitales (viriles) ad normam respondere videmus; ignorare tamen non oportet, penem inter utrumque femur coalitum, non inter hoc et accessorium residere, scrotum duabus consistere plicis, plane sejunctis, testiculis carentibus, quippe qui, ut infra exponetur, e ventre nondum descenderunt. Extremitatum inferiorum, a norma prorsus alienarum, tres exstant, quarum exterior sinistra pro accessoria habenda est; exterior dextra cum norma consentit, si illud excipimus, quod cum interiori media coaluit; in hac extremitate duplici duae patellae, extrorsum versae, altera dextrorsum altera sinistrorsum, luculenter sentiuntur; pes duplex, cujus planta, quod huic monstrorum generi proprium, sursum spectat, digitis decem munitus est, ita ut sex pedis dextri esse videantur. Extremitas accessoria et ipsa patellam offert manifestam, unde crus in os acuminatum, sola cute investitum, desinit. Posteriorem corporis faciem si contemplamur, nullum partium superiorum vitium animadvertimus; inferne orificium ani desideratur, cujus locum plicae aliquot cutaneae tenent; denique pedis duplicis dorsum ob oculos cadit, deficiente cruris accessorii pede.

§. 7.

Accuratior hujus monstri descriptio circa structuram pelvis, femorum, crurum, pedis ossium atque partium mollium iis vel affixarum, vel finitimarum versabitur. —

Quod pelvis abnormitatem attinet, utrumque os ilium, quod vulgo per symphysin sacro iliacam cum osse sacro junctum esse consuevit, postice per faciem articularem inter se coaluit, ut unum constituatur os, cujus postice subter osse sacro insignis est prominentia. Dextrum hujus ossis imparis dimidium majus est sinistro; supra et pone prominentiam ossium ilium conjunctorum columnae vertebralis finis, nimirum os sacrum et coccygis, apparet. Hac utriusque ossis ilium coalitione circa

facies articulares ossa pubis et ischii tantam receperunt propinquitatem, ut pelvis cavitas plane desideretur. Ossium ischii partes superiores, quae ad conformandum acetabulum conferunt, invicem ita appropinquarunt, ut modo substantia tendinea tenuissima inter eas exstet. Supra hunc locum, infra juncturam utriusque ossis ilium apertura conspicitur rotunda, utrique incisurae sacro iliacae analoga, hic autem ossibus ilium et ischii, in centro conjunctis, formata; hanc aperturam nervus ischiadicus uterque permeat. Tubera ossis ischii utriusque duas modo lineas distant et musculorum insertioni inserviunt; eadem est distantia ramorum ascendentium et descendentium ossium pubis atque ischii; orificium ani inter haec ossa non animadvertitur, at infra symphysin ossium pubis urethra ad pelvim tendit, quae superne non in vesicam urinariam, sed in funiculum oblongum, umbilicum versus ascendentem, crassitiem pennae corvinae referentem, terminatur. Utrinque ossium innominatorum conjunctorum exstat acetabulum, multo autem planius atque imperfectius, quam in corpore normali; utrique caput femoris alterutrius insidet ligamentoque terete admodum firmo munitur.

Extremitas inferior (duplex) ossa femoris duo offert, ita sibi parallela, ut si ab anteriori parte corpus intueamur, ossis dextri ejusque exterioris facies interna, sinistri seu interioris facies posterior oculis obvertatur. Os exterius tam magnitudine quam perfectiori evolutione praestat interiori, ut hoc accessorium possit haberi. Faciei exteriori ossis femoris dextri musculus extensor communis cruris inhaeret, quatuor consistens capitibus: musculo recto femoris, vasto interno et externo atque crurali; tendo ejus patellam rite efformatam circumcludit. Circa faciem anteriorem (femoris internam) inde a pelvi musculus sartorius et gracilis, paulo inter se distantes, normalem originem a pelvi petentes, ad foveam spinae tibiae descendunt; neque minus femur dextrum musculo pectinaeo et capitibus musculi tricipitis femoris insignitur. A tubere ossis ischii inter utrumque os musculus semitendinosus et semimembranosus decurrunt, quorum ille, uti solet, juxta musculum gracilem et sartorium foveae prope tuber ossis ischii inseritur, hic et ipse ad normam respondens extremitati superiori ossis tibiae adnectitur.

Musculus biceps femoris autem, cujus longius caput, uti mos fert, cum musculo semitendinoso junctum, a tubere ossis ischii oritur, neque breviori capite insignitur, neque ad os fibulae ejusdem cruris tendit, sed lateri externo cartilaginis tibiae, paulo ante eum locum, quo fibula cum tibia jungitur, affigitur. Inter utrumque os femoris musculus proprius invenitur, duobus constans capitibus, quorum unum cum ligamento tendineo-musculari fasciae latae, inter musculum vastum externum et tricipitem femoris, commercium alit, alterum a facie posteriori femoris interni s. sinistri oritur, utrumque deinde conjunctum tendinis ope extremitati supe-

riori ossis fibulae cruris interni inseritur. Haecce capita respondere videntur utrique capiti minori musculi bicipitis femoris, ita ut in femore minori interno caput longius musculi bicipitis desideretur, in femore autem majori externo caput brevius musculi bicipitis cum longiori non junctum sit.

Crura ita sunt locata, ut facies exteriores sive fibulares invicem sese tangant; crus dextrum majûs patellam rite conformatam, sinistrum minus tantummodo cartilaginem exiguam magnitudinis lenticulae exhibet; pedum pariter atque crurum superficies exteriores ita coaluerunt, ut digiti minimi centrum pedis majoris teneant. Cruris interni minoris latus, ad quod musculi extensores pertinent, retro versum musculis caret, quibus patellae parvitas explicanda videtur; musculi glutaei, inter se coaliti, tam majori quam minori femori adnectuntur. Crura circa externas paginas invicem sese tangentia partim distortione ossium femoris in acetabulo, ut supra dictum est, partim singulari genuum articulatione eum receperunt situm, ut crura, calx et planta pedis antrorsum, pedis dorsum et spinae tibiarum retrorsum spectent. Inter ossa pedis utriusque paralleli tantummodo calces circa tuber calcaneum concreverunt; tuberi calcaneo tendo Achillis simplex affigitur, ventribus musculorum utriusque cruris paralleli conformatus. Ab unoquoque crure supra condylum internum musculus gastrocnemius ita oritur, ut gastrocnemius externus deficiat; hoc cum musculo soleus sueto more conjungitur et communis utriusque tendo infra bis tertiam longitudinis partem cruris in Achillis tendinem coit. Crus minus internum insuper musculo plantari gaudet, quo alterum crus destituitur. Reliqui musculi faciei posterioris cruris, flexor longus communis digitorum, flexor hallucis longus et tibialis posticus in utroque crure inveniuntur; in latere extensoribus cruris dicato, retrorsum verso, ad majus sive externum crus pertinent musculus tibialis anticus, extensor hallucis longus, extensor communis digitorum, peronaeus brevis et longus, extensor communis brevis; crus internum minus plane destituitur musculo soleo et gastrocnemiis; extensor brevis communis digitorum et tibialis anticus, extensor longus hallucis et communis digitorum adeo exiles sunt, ut tenuitatis gratia tendines singulorum vix distingui queant; plantae pedis musculi et ipsi minimi et imperspicui sunt.

Femur tertium s. accessorium instructum est osse innominato, osse femoris, patella et tibiae parte superiori; reliqua deficiunt. Os innominatum non facie articulari cum trunci ossibus conjungitur, sed partibus carnosis cinctum juxta os sacrum, pubis et ischii femoris minoris s. interioris supra descripti residet; ceteroquin ossis ilium figura non rotundiuscula est, sed oblonga; caput ossis femoris, uti solet, in acetabulo ossis ilium reconditur, figura ossis nihil offert anomali; patella eam adepta est perfectionem, quam patella femoris externi majoris. Ossis tibiae condyli circa

articulationem genu rite efformati apparent, infra quos pedetentim tibia acuminatur et simplex sine facie articulari terminatur. Musculi reperiuntur hi: capita quatuor musculi extensoris cruris communis, nimirum rectus femoris, vastus internus et externus et cruralis, quorum tendines solito more patellae et spinae tibiae affiguntur; praeterea musculus sartorius et gracilis, neque minus adductores femoris ad normam respondent; tensor fasciae latae non in fasciam abit tendineam, sed musculum exhibens longum et tendine teretiusculo instructum, in latere externo juxta tibiae spinam foveae inseritur. Prope hunc similis musculus, a tubere ossis ischii oriundus, adnectitur, quem semitendinosum existimare possis, quanquam non, uti alias solet, circa latus internum sed externum foveae juxta tibiae spinam sitae inseritur. Pelvis situs imprimis valida insertione musculi longissimi dorsi et sacro-lumbalis firmatur. Ab hujus femoris accessorii crure musculi non procedunt.

Examinatis extremitatibus etiam ventris cavitatem pervestigavi et haec fere notanda inveni: hepar, ventriculus et lien cum norma conspirant; tubus intestinalis ad *S* romanum descendit, unde non ad pelvim convertitur (deficit enim pelvis, quum, ut supra dictum est, os ilium utrumque femoris duplicis se invicem propemodum tangat) sed versus umbilicum ascendens, in funiculum teretiusculum clausumque abit, qui cum urethrae fine conjunctus, urachi ad instar umbilicum petit. Absunt renes et vesica urinaria; in vesicae locum finis urethrae, tanquam funiculus teres, successit, pennae corvinae magnitudinem adaequans, qui, uti paulo ante monui, cum coeco intestini recti fine umbilicum versus adscendit et exiguam modo partem in ventre sitam tubulosam habet. Quanquam uterque ren deficit, tamen glandulae suprarenales, solitam referentes magnitudinem solitumque tenentes locum, adsunt, e quibus merito ratiocinandum existimo, nullam harum partium efficaciam in urinae secretionem existere. Miri aliquid aortae ramificatio offert, in ramos duos inaequales (arterias iliacas communes) distributa, quorum sinister minor partim ad pelvis organa, partim ad femur externum s. majus tendit, dexter major iterum aortae more in ramos principes duos secedit, quorum unus ad femur accessorium demittitur, alter autem, missis ramulis ad pelvim femoris combinati, arteriae umbilicali aequiparandus, versus umbilicum assurgit; praeter hanc arteriam umbilicalem altera non invenitur. Testes adhuc in ventre, proxime supra annulum abdominalem, deprehenduntur. Venae arterias concomitantur, ea interposita differentia, ut vena umbilicalis umbilicum petat.

§. 8.

Exposita anatomia monstri monopodis, quod in utraque tabula aenea, huic dissertatiunculae adjecta, delineatum vides, brevem ejus comparationem cum iis adgrediar, quae alibi descripta ac delineata inveni. Si respicis monstrorum monopodum

divisionem in perfectiora atque imperfectiora et cui ordini adnumerandum sit, quod a me descriptum est, interrogas, proprium quasi ordinem constituere arbitror, eum in modum, ut perfectiorum et imperfectiorum criteria in eo juncta reperiantur: est enim duplex femur atque crus, ita conjunctum et formatum, sicut monstrorum perfectiorum habitum duce *Dieckerhoff* descripsi; est porro tertium femur s. accessorium, pede destitutum, in apicem subacutum excurrens. Nemo anatomorum, quod equidem scio, tale monstrum memoratu dignissimum hactenus descripsit, aut delineari curavit.

§ 9.

Monopodum imperfectiorum duos descripsit *Dieckerhoff* [1]), unum *Otto* [2]), duos *Boerhaave* [3]), plures alii. In priori hujus generis monstro, a *Dieckerhoff* descripto, ossa pelvis simplicissima fuerunt; os sacrum valde retrorsum, superne et dextrorsum vergit; os ilium modo unum adfuit, sinistrorsum spectans, at duobus inter se junctis compositum, ita vero ut longitudo latitudinem superaret; pars ossis ilium, qua ossi sacro applicatur, lata erat, cartilagine obducta et in latere sinistro superficiei ossis sacri respondebat, dextrorsum versi; inferiori ossis ilium parti duo processus insidebant, (rami ossis pubis?) pone et infra quos processus tertius, cum incisura cartilaginosa; (rudimentum ossis ischii et acetabuli) femur unicum corporis axem tenens, superne tenuius, inferne crassius erat; huic inhaerebat tibia, cujus superior extremitas latior, inferior in apicem obtusum abibat et dextrorsum cum femore ginglymum conformabat. Patella inter femur et tibiam aderat, duobus nucleis osseis constituta eoque modo sita, ut, quae anteriora esse solent, posteriora essent. Musculi femoris partim soliti aderant, partim proprii, cruris rudimentum, musculis destitutum, nonnisi tela cellulari adiposa involvebatur. Arteria umbilicalis modo una, quod omnibus hujus generis monstris commune esse consuevit; aorta abdominalis ejusque rami multifarias abnormitates offerebant; nervorum tantummodo cruralis et obturatorii duo inveniebantur. Anus, genitalia externa et urethra deficiebant; intestinum colon priusquam ad pelvim descenderat, in saccum satis amplum desinebat. Qualis hujus monstri sexus fuerit, determinari non poterat, quum genitalia interna et externa desiderarentur; pro explorato autem habendum videtur, haec monstra plerumque sexus sequioris esse [4]). In pelvi canalis utrinque coecus cum vesicula rotunda praesto erat, quem vel pro extrema tubi intestinalis parte, vel pro vagina, utero et vesica urinaria habere licebat; nec renes aderant, nec ureteres, verumtamen glandulae suprarenales.

---

1) L. c. 2) L. c. 3) L. c.

4) *Dieckerhoff*, l. c. pag. 16.

Alter foetus a *Dieckerhoff* descriptus os sacrum habebat normale, quocum ossa ilium rite conjuncta structura et magnitudine solita insigniebant, situ tantum diversa, quippe superficies interna sursum, externa deorsum spectabat. Rami ascendentes ossis pubis, rudimenta ossis ischii et acetabuli, nec non femur, tibia et patella ceteraeque partes ad indolem et structuram foetus prioris respondebant.

De foetu, quem descripsit *Otto,* haec notanda sunt: os sacrum et ossa innominata tam arcte erant conglutinata, ut singula dignosci nequirent; ossa pubis retrorsum, ischii introrsum flexa, tam inter se, quam cum osse sacro conflata aperturaque inferiori carentia, pelvis fundum conformabant; apertura pelvis inferior superne, foraminis rotundi figuram et lentis magnitudinem referens, conspiciebatur. Foramina obturatoria, tenui tendine segregata in pelvis fundo osseo exstabant; aderant etiam tubera ossium ischii, neque minus ossa ischii ipsa parva plana ac depressa; acetabulorum vestigia nulla; e synchondrosi ossium pubis spina eminebat cartilaginea, inter quam et tubera ossium ischii femoris caput, tanquam in acetabulo, residebat. Femoris os unicum deforme erat, neque capite, neque collo munitum, superne tamen tumorem capiti simile exhibens. Cum hoc unius tibiae fragmen capsula articulari conjungebatur, patella et fibula deerant; tibia circiter digiti longitudinem aequabat, in apicem laevem desinens. Musculi extremitatis perinde ac aliae partes a norma aberrabant, nihilosecius substantia quaedam muscularis superiorem tibiae partem amplectebatur. Quod intestina attinet, colon descendens in magnum saccum, in curvatura ossis sacri positum terminabatur, qui nihil erat, nisi intestinum rectum, modo dilatatum; glandulae suprarenales nec magnitudine nec situ discrepabant, renes cum ureteribus deficiebant. Vesica urinaria in cavo profundo ossis sacri, sub sacco, in quem intestinum desinebat, reperiebatur, admodum parva, decies fere minor, quam in aliis nuper natis. Arteria umbilicalis unica non ex hypogastrica alterutra, sed ex aorta, paulo ante bifurcationem ejus, proficiscebatur.

Eadem forma prodigiosa erat monstrorum duorum a *Boerhaave* descriptorum, quorum primum ossis sacri loco cristam in anteriori superficie ossis ilium, utrinque foraminulentam, offerebat; pelvis parva erat et perexigua, os ilium convexo margine circumdatum; ab anteriori inferiori et posteriori superiori ejus parte capitulum eminebat, quod articulationem in superficie cartilaginea ultimae lumborum vertebrae efficiebat. Os femoris unicum, subter pelvis cavo haerens, nonnisi musculis erat retentum, liberum et ita inversum, ut latus posterius antrorsum et paulo dextrorsum inverteretur; pars superior dimidia gracilior inferiori, caput globosum, solito minus; neque ullum ligamentum teres, neque capsula ligamentosa; cervix brevior, gracilior et rectior, statim in trochanterem majorem versa, qui cartilagineus et oblongus, ossi femoris a posteriori parte adnatus erat; trochanter minor desiderabatur. Femur

leviter intortum et incurvum, inferne intumescens, abibat in additamentum cartilagineum, condylos fingens; accedebat praeterea tertius condylus inter duos laterales atque extra eosdem in anteriora prominens; patella duobus planis, leviter quadratis frustulis consistens, inter os femoris et tibiae additamentum cartilagineum locata erat. Os tibiae perinde ac femoris inflexum et huic per ligamenta annexum erat, leviter versus posteriora deflexum, i. e. respectu corporis versus anteriora pauloque versus dextrum latus; nec fibula neque pes inveniebatur. In describendis femoris et cruris musculis major difficultas erat propter ossium deformationem, a quibus oriebantur et ad quae pertinebant; multi praeterea deficiebant, alii in unum concreverant, alii duplices erant, alii denique invertebantur, ut nomina consueta iis tuto imponi non possent. — Tubus intestinalis ad coecum usque nihil habebat abnorme, coli autem decursus et finis singularis erat, quippe in saccum magnum ovalem clausum dureque expansum exibat, qui longe praeter naturam intorquebatur. Deficiebant genitalia externa, aderant autem ovaria, atque tubae Fallopii, neque minus renes, verum nec uterus, nec vagina, nec vesica urinaria; arteria umbilicalis una ex aorta originem ducebat et ista quidem aortae continuatio quadruplo major erat, quam truncus inferior, in duos ramos, iliacis similes, fissus.

Alter foetus, quem *Boerhaave* descripsit [1]) minus a structura normali aberrabat: os sacrum enim rite constitutum erat, modo versus dorsum oblique sinistrorsum inclinatum; pelvis major et media pars marginis ossis ilium tam superioris quam inferioris incisa, ut e duobus combinatum appareret; os ilium cum prima vertebra ossis sacri concreverat. Pariter ac in foetu priori, ex inferiori parte ossis ilium duo processus, angulum rectum formantes, exibant; rudimenta ossium ischii et acetabulorum praesto erant; os femoris unicum, os tibiae, patella duplex cum iisdem ossibus infantis prius descriptae plane conspirabant, idem fibulae pedisque defectus. — Musculi femoris et cruris, si originem, directionem per ossa et insertionem respicis, bene inter se conveniebant, nec erant differentiae majoris momenti, quam quas quotidie fere observamus in corporibus diversis. Quod intestina attinet, coecum instructum erat processu vermiculari, quo prior foetus carebat; colon, ubi post primam flexuram sub hepate decurrit, in tubos duos abibat, ut alter post priorem procederet, ab hoc tectus. Hic tubi sine ullo commercio ita decurrebant, quasi colon commune forent et manebat, septi medii ad instar distinguens, latus inter ambos commune, donec infra ab altero distinctus uterque tubus divergebat et postremo in corpus membranaceum expandebatur. Pudenda externa nulla, ut in foetu priori, intus autem ovaria et tubae Fallopii cum annexis. Ren aderat sinister, sed ureteris exitus nullus. Arteria umbi-

---

1) L. c. Tom. II. Petrop. 1757.

licalis una, aortae descendentis continuatio, quippe quae non, uti solet in iliacas findebatur, sed, edita arteria umbilicali, modo trunculum exhibebat, qui ramulo utrinque emisso, infra locum, quo divisio fieri solet, ramum recta descendentem ablegabat, arteriam sacram.

§. 10.

Perfectiorum monopodum duorum, quos descripserunt *Dieckerhoff* [1]) et *Sachsse* [2]) brevem adumbrationem comparationis gratia subjungam.

Foetus, quem *Dieckerhoff* descripsit, circiter quatuor mensium erat; pelvis minor arctiorque erat solito, ossa ilium non convexa, sed plana fereque perpendicularia, os sacrum, inter ea situm et versus se ipsum inflexum, tuberositatem in superficie corporis posteriori exhibebat. Ossa pubis, ramo horizontali tantum consistentia, perinde ac ilium ossa deorsum recta tendebant et synchondrosi cohaerebant; os ischii ramo ascendente ac descendente fingebatur, quorum hic retrorsum, ille antrorsum inclinabatur, uterque angulo recto consociabatur; rami ascendentes excurrebant in apices, symphysi pubis per telam cellularem adnexos. Foramen obturatorium aderat unum, inter ossa ischii et pubis; acetabula in posteriori superficie apparebant. Utraque inferior extremitas ita in unam coaluerat, ut in superficie nullum segregationis vestigium internosceretur; nihilominus decem pedis digiti et in planta pedis incisura inveniebatur. Non modo concreverant extremitates inferiores, sed etiam inversae erant, ut patellae extrinsecus jacerent, crus vero et pes ita circa axem verterentur, ut facies externa in internam, anterior in posteriorem etc. mutatae essent. Utrinque erat fibula, ossa metatarsi decem totidemque digiti pedis, ita coordinati, ut hallucés extrema tenerent, minimi autem sese tangerent. Musculi his ossibus varii adnectebantur, partim cum norma consentientes, partim ab ea deflectentes. Intestinum crassum terminabatur in saccum coecum, in pelvis introitu situm, inferne amplum, postremo coarctatum. Organa uropoëtica lateris sinistri normalia erant, in dextro modo organon reni simile, uretere destitutum, ureter sinister abibat in colon; testes erant duo totidemque epididymides, e quibus oriebantur funiculi spermatici, cum uretere coëuntes et intestinum rectum petentes; genitalia externa, orificium urethrae et ani prorsus desiderabantur. Aorta descendens circa postremam vertebram lumbalem findebatur in arteriam umbilicalem unam et continuationem trunci, qui paulo infra in arterias crurales duas totidemque hypogastricas secessit.

De monstro denique monopode, a *Sachsse* observato, haec relata inveni: partes genitales externae plane desiderabantur; duorum artuum inferiorum loco unicus erat, qui a coxendice inde ad genu paulatim gracilescens, in hujus anteriori parte duo tuber-

---

[1]) L. c. [2]) L. c.

tubercula totidemque in latere utroque habebat; planta pedis antrorsum conversa, digitos habebat septem atque inter hos utrinque pollices extremi erant. Paulo supra locum, quo anus esse debebat, foraminulum inveniebatur, quod etsi ad intestinum rectum pertinere videbatur, specillum vix ultra duarum linearum altitudinem admittebat. In dorso pedis, quod retrorsum spectabat, octo digiti reperiebantur, nimirum inter tertium quartumque octavus exiguus, quatuor linearum longitudinem haud excedens ungueque carens insertus erat. Patefacto ventre eo loco, quem colon transversum tenere solet, canalis oblongus amplior situs erat, infra quem alius saccus ovatus ad ossa pubis decurrit. Disquisitio hunc canalem colon transversum esse docuit ita ampliatum, ut passim tres et dimidium poll. parisiens. aequaret. Saccus ille ovatus intestinum rectum erat, in quod colon desinebat. Ovaria et tubae Falopii utrinque reperiebantur; viscerum uropoëticorum nec vesica, nec renes, nec ureteres, neque vasa renalia, aut urachus aderant, glandulae tamen suprarenales solito majores. Aortae supra secundam vertebram lumborum divisae dexter ramus ad pelvim decurrit, denuo in ramos duos secedens, quorum major arteriam umbilicalem effecit, minor, ut arteria iliaca, sub ligamento Poupartii exiit; sinister ramus non divisus ut arteria iliaca ad ligamentum Poupartii contendit. Ad ossa haec pertinent: ossa ilium planum fere inclinatum ostendebant, ita diducta, ut cum osse sacro sub angulo valde obtuso coirent: pubis ossa sub acutiori angulo connivebant eorumque rami descendentes horizontalibus fere pares erant longitudine; ossa ischii sub incisura ischiadica tantum non mutuo se contingebant, ita ut iis solis apertura pelvis inferior in parte anteriori terminari claudique videretur. Coalita ossa ischii ab anteriori, lineae semicirculares internae ossis ilium a laterali et promontorium a posteriori parte aperturam superiorem constituebant. Tuberum ossium ischii rami descendentes et ascendentes ita concreverant, ut non modo arcus pubis deficeret, sed ipsi etiam ossisque pubis rami descendentes cristam inter femora excurrentem efficerent. Femorum ossa erant conversa, superficies anteriores in externas, posteriores in internas mutatae; quibus tibiarum situs ita respondebat, ut anterior angulus acutus et spina tibiae simul cum patella extrinsecus, interior superficies a fronte, exterior a tergo, posterior intrinsecus versae essent. Fibulae per longitudinem concretae unum os mentiebantur, superne tenuius, inferne crassius. Pedis articulus nullibi angulum ostendebat, sed cum cruribus recta procedebat; ossa metatarsi ita erant disposita, ut extrema duo ad pollices, quatuor quae sequebantur, ad secundum et tertium digitum pertinerent, medius ex ambobus digiti quarti ossibus metatarsi componeretur, quae ita concreverant, ut in superficie plantari nonnisi septem ossa metatarsi cum phalangibus conspicerentur; calcanei non aderant. Musculorum alii inveniebantur, alii desiderabantur, alii demum a sueto more deflectebant.

Haec sufficere puto, ad comparationem aliquam monopodum perfectiorum et imperfectiorum cum eo instituendam, cujus anatomiam equidem descripsi cujusque iconem delineandam curavi. Acquiescatis hisce, LL. BB. atque valeatis!

3

TABULAE UTRIUSQUE EXPLICATIO.

TABULA PRIOR.

Continet extremitates inferiores nonnullorum in Museo nostro asservatorum monopodum.

TABULA ALTERA.

Fig. 1. Facies anterior monstri,

a) funiculis umbilicalis

b) penis

c) d) pedes concreti

e) crus accessorium

f) hujus finis.

Fig. II. Facies posterior ejusdem.

1. 1. Vertebrae lumbales.

2. Os sacrum,

3. 3. 3. 3. Ossa innominata inter se concreta.

4. Nervus ischiadicus amborum crurum communis de pelvi exiens per foramen ischiadicum ossium innominatorum concretorum ope formatum.

5. femur dextrum

6. femur sinistrum minus

7. patella femoris dextri

8. patella femoris sinistri minima

9. crus dextrum majus

10. crus sinistrum minus

11. pes dexter major sex digitis gaudens

12. pes sinister minor cum quatuor digitis

a) os accessorium

b) femur accessorium

c) ejus patella

d) pars superior tibiae.

VITAE CURRICULUM.

Hermannus ego Julius Behn, evangelicae confessioni addictus, natus sum Brombergae die XXIII M. Decembris A. MDCCCV patre Joanne Godofredo, matre Anna Sophia de gente Hirschbergeriana, quos fata benigna adhuc incolumes mihi servarunt. Primis litterarum rudimentis in domo paterna privatis institutionibus imbutus, gymnasium bromborgense, quod rectore maxime reverendo et celeberrimo Mueller florebat, adii ibique ab anno MDCCCXVI ad annum MDCCCXX incl. linguis tam veterioribus, quam recentioribus addiscendis, nec non humanioribus, quae dicuntur, operam navavi. Relicto gymnasio Thorunium petii et privatas lectiones per triennium adii; absoluto hocce triennis Berolinum me contuli et die III M. Junii A. MDCCCXXIV. Rectore Cel. Hoffmann, Decano facultatis medicae Illustr. Rudolphi in numerum medicinae studiosorum universitatis litterarum berolinensis rite acceptus sum, ubi per triennium et semestre his praelectionibus interfui: de botanice et historia naturali Illustr. Link, de osteologia, splanchnologia et syndesmologia Illustr. Knape, de anatomia universa, sensuum organorum, comparata et pathologica nec non de encyclopaedia et methodologia medica Illustr. Rudolphi, disserentes audivi; artem cadavera incidendi Illustr. Rudolphi et Knape me docuerunt. Ad chemiam Cel. Mitscherlich, ad physicen Cel. Turte, ad physiologiam Illustr. Rudolphi, ad materiam medicam Cel. Wagner, ad pathologiam specialem, morborum syphiliticorum et vesaniarum curam Illustr. Horn me instituerunt. Adii scholas Perillustr. C. W. Hufeland de therapia generali, Illustr. Horn de therapia speciali, Illustr. Rust de chirurgia, Illustr. Rust et Cel. Kluge de akiurgia Cel. Kluge de arte obstetricia theoretica et practica. Exercitationibus clinicis tam medicis, quam chirurgicis et ophthalmiatricis Beat. Berends, Perillustr. Hufeland, Cel. Osann et Busse, Illustr. de Graefe, Illustr. Rust benevole me admiserunt.

Tentamine et examine rigoroso jam rite superatis conscripta defensaque hac dissertatione, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Vias uriniferas clandestinas nego.

II.

Dysenteria morbis inflammatoriis adnumeranda est.

III.

Dysphagiam lusoriam nego.

IV.

Paracentesis abdominis in hydrope ascite modo palliativum auxilium praestat.

V.

Hymenis ruptura non probat virginitatem prostratam.

Tab. I.

Fig. 3.




Fig. 1.




Fig. 4.



Fig. 5.



Fig. 2.



C.L. Müller. ad. nat. del:

F. Guimpel. Sculp: